

toli non neglexere longe positos, sed ad omnes excurrere: ita non excludendi ab urbibus peregrini et alienigenæ qui alias labore et sudore suo servire communitati solent. Id enim S. Ambrosius, l. III. offic. c. VII. serio monet inter alia: *Feræ non expellunt feras*, inquit, *et homo hominem excludit?* Acceperunt apostoli a Christo panes unde non difficulter eos dispensarunt. Igitur et nos reddamus quod accepimus.

Tertio, tollunt et colligunt et reliquias, in alium utique bonum et pium usum, ut habeant quod dent aliis pauperibus. Ita etiam decet esse liberalem, ut prodigalitas vitetur, et quæ supersunt victui nostro, reserventur ad virtutis occasionem. Hoc si fecissent multi, si inquam parcius vixissent, et quæ illis supererant fragmenta, sustulissent ac reposuissent in futuram necessitatem, non jam colligere stipem cogentur. Diogenes ab aliquo profusissimo homine mnam petebat pro stipe, cumque alter miraretur impudentem postulationem, dicens: *Cur tu a me mnam, qui ab aliis obolum tantum petis?* Quia inquit: *Ab aliis iterum me accepturum spero, a te vero an unquam posthac accepturus sim, incertum est*, significans eum ore vi ad incitas redigendum ob immodicam opum profusionem, Laert. lib. VI.

III. A populo patientiam discimus et confidentiam. Nam primo, cum Christo perseverant patienter usque ad diem tertium audiendo ejus sermonem, sequendo eum ad desertum usque. Itaque qui in obsequio Dei perseverat, ne dubitet de providentia divina: non enim obliviscitur Deus servorum suorum. Nonne sufferentiam Job remuneratus est, dando ei pro amissis duplicia, Job XLII. unde, Jacobus, c. V. ait: *Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis*. Similiter Tobias: *Non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatatis venerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit*, Tob. II. ideoque visum recepit per angelum.

Secundo, jussus discumbere, discubuit, licet non intelligeret, unde pascendus esset, et unde cibus haberi posset in ista solitudine. Ita nimirum confidendum Deo et expectanda ab eo refectione. Sic in vita S. Dominici legimus, eum cum decem fratribus Romæ aliquando discubuisse, cum scirent nihil cibi esse præ manibus (siquidem unum panem duo fratres eo die mendicatio obtinuerant, quem pauperi exigendi dederant) eumque ad mensam legi coactum esset, duo speciosissimi juvenes ingressi singulis panem candidissimum apposuerunt et disparuere: dolium insuper evacuatum, vino optimo replere, Sur. V. aug.

Tertio, patienter expectavit refectionem: non petiit pasci per miraculum, licet jam antea id a

Christo factum sciret: non murmuravit ob dilationem vel detentionem: non abiit in castella ad comparandum cibum, sed totus a Christi voluntate pendit. Denique, licet valde esuriret, non involavit tamen in manus apostolorum panem opponentium, non rapuit vi, non extorsit. Ad eundem modum non petamus a Deo, ut novo et miraculoso modo sustentet, sed contentissimus communi et ordinaria ejus providentia, ac si quis in annonæ et frugibus est defectus, peccatis nostris adscribamus, vel peculiari Dei dispositioni, etc. Rursum non debemus murmurare, si tardius opituletur. Scriptum est: *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore*. In tempore, inquam. Multo minus abeundum est ad illicita media, fraudes, furta mendacia: nec vi extorquendus panis.

Quarto, solo pane et paucis piscibus saturatus et contentus fuit. Ita mediocri messe, adeoque solo pane, si aliud non suppetat, contentos nos esse oportet. Unde et solum panem quotidianum petimus in oratione Dominica. Cyrum regem intueamur, qui cum ad hospitem divertisset et ab ea rogaretur, quid ad prandium apparari juberet, respondit: *Nihil aliud quam panem, quia spero me prope rivum cœnaturum*, Ammianus, l. XXI. Cæsarem Augustum legimus cœnasse ternis ut plurimum ferulis, aut cum abundantissime, senis præbuisse convivium. Antiquos etiam Romanos duobus tantum ferulis epulari solitos scribit Servius; vixisse item ex hortis suis, damnatis pulmentariis, scribit Plinius, l. XIX. cap. IV. Didicisse videntur hoc a Romulo suo conditore, qui vini imprimis parcissimus fuit. Unde cum aliquando ad cœnam vocatus, minimum ibi bibisset, dixerunt ejus familiares: *Si ad istum modum bibant omnes homines, vinum fore vilius*, Tymp. in spec. magistr. signo. Septuaginta duos Julius Cæsar coquos omnes ejecit a palatio dicens: *Non opus est mihi coquis, cum simplicissimis cibus contentus esse possim*, idem ibid. Similiter Lacedæmone coquos esse non licebat alios, quam carnis dumtaxat. Qui vero quamvis cupedinariam aliam artem novisset, ejiciebatur Sparta, Ælian. lib. XIV. de var. histor.

IV. Discimus etiam hinc una eucharistiæ specie in sancta communione contenti esse. Quod plura alia persuadent argumenta. Primum, quia primi Christiani tempore apostolorum sub specie panis tantum communicabant, ut colligitur ex Act. apost. cap. II. et XX. ubi non calicis sed communionis, fractionis panis (eucharistici utique) solum mentio fit, imo non pauci sentiunt, ipsum Christum in Emmaus bonis discipulis eucharistiam porrexisse, quod in panis tantum specie factum esse oportuit. Ad hæc tempore

Leonis et Gelasii pp. prohibitum catholicis sub una specie communicare, propter Manichæos, qui tunc speciem vini rejiciebant, quod dicerent, Christum non vere mortuum, nec sanguinem fudisse, ideoque inter catholicos latentes sub specie panis tantum communicabant. Denique, aliquibus olim domum deportanda dabatur eucharistia, ut ex Cypriano, Tertulliano et S. Basilio discimus. Ergo hinc sequitur multos saltem Christianos ante eam inhibitionem sub una specie communicasse, idque approbatum fuisse ab Ecclesia, donec Manichæi orientur et Ecclesiam moverent ad utriusque speciei usum præcipiendum.

Secundum, quia sub una specie æque continetur ac sumitur totus Christus, cum carne et sanguine (siquidem Christus jam non moritur amplius, adeoque nec dividi potest) atque sub utraque. Ac licet consecratio panis tendat per se ad corpus Christi solum, una tamen cum corpore per naturalem concomitantiam adest etiam sanguis, adeoque totus Christus. Sic oculi in se non vident nisi colorem pomi, quia tamen cum colore pomi conjunctus est sapor, odor, substantia pomi, dicuntur videre totum pomum, non colorem tantum. Quando ergo in una specie non habemus minus, quam in duabus, quid querimus unam nobis subtrahi? Qui collegerat duo gomor seu modios manna, non habebat plus quam qui unum, Exod. XVI. Ita qui sub utraque specie communicat, non accipit plus, quam qui sub una.

Tertium, quia non minor fructus percipitur x una, quam ex duabus speciebus. Qua in re differt spiritualis reffectio a corporali; illa fit cibo et potu distinctis: hæc autem una quæ habeat vim cibi et potus, estque Christus.

Quartum, quia non desunt causæ urgentes quæ suadent unam potius quam utramque speciem. Prima est, quod multi sint abstemii a vino, quibus vinum omnino contrarium nauseam parere solet: cujusmodi homines etiam ab ipsis adversariis specie panis sola communicari solent. Secunda, quod vinum multis in locis haberi nequeat, præsertim in tanta copia ut tot millium communioni sufficiat, uti Rutheni, et quædam nationes in India non ita pridem deprehensæ. Tertia, quod in tanta multitudine periculum sit effusionis aut irreverentiæ, infectionis (præsertim tempore pestis) nauseæ ex priorum sordibus bibentium de eodem cratere, etc. Propter has ergo causas prudenter Ecclesia statuit ut (quando Manichæorum hæresis jam extincta est) laici sub una specie deinceps communicarent. Neque sine exemplo. Olim enim baptismus cum trina mersione conferebatur, ad confutandos eos qui negabant Trinitatem.

postea contra alios hæreticos qui baptismum iterandum contendebant, cum una tantum; quia nimirum etiam hac in re nihil jure divino Ecclesiæ præscriptum, sed totum ejus dispositioni relictum fuit. Maneat igitur, Ecclesiam in his rebus velut magistram per omnia sequendam et habendam tamquam matrem, si velimus Deum habere velut patrem.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Cur Dominus discipulis communicat suum consilium? — II. Cur distulit refectionem ad tertium usque diem? — III. Quid significant septem panes? — IV. Cur jussit populum discumbere super terram? — V. Cur per discipulos jussit apponi panes? — VI. Quid allegorice notat hæc historia?

THEMA.

Præcepit turbæ discumbere super terram.

Marci VIII.

Quod apostolus Petrus, epist. 1. c. II. docuit, auditores, cum dixit: *Sicuti modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite ut in eo crescatis in salutem*, hoc docemur etiam in hodierno evangelio, dum a Christo turbæ saturandæ panibus, jubeantur discumbere super terram. Quid enim lac de quo S. Petrus, nisi doctrina evangelica, dulcis, pura et sincera, reddens animam nitidam et tortem, abscondita per fidem in uberibus matris? Hanc appetere nos jubet Petrus veluti infantes simplices et humiles; idem facit Dominus, cum discumbere jubet convivias super terram. Hoc enim verbo insinuat, humilem esse debere, et cum Magdalena ad pedes prædicatorum sedere, qui vult percipere Dei sapientiam, in valles enim, non in montes defluit humor pluviae. Deinde, vult S. Petrus, ut in ea doctrina crescamus seu proficiamus, quoad virtutem et perfectionem christianam. Idem insinuat Dominus, ut observat v. Beda hoc loco, dum jubet auditores suos discumbere super terram. In priore enim, huic simili, convivio, de quo Marci VI. agitur, jussit homines discumbere super viride fœnum: at hic super terram, nudam videlicet et non instratam; quia decet Christianum crescere in contemptu mundi et virtutum perfectione, ac si primo quidem paulo mollius sedit, ac vixit, postea paulatim durior assuescat vitæ et gaudeat servire Deo, etiam sine culcitra temporalium commoditatum. Quare auditores, sedete imprimis humi cum conviviis hodiernis et veluti infantes excipite lac evangelii, humili ac simplici animo, ut crescatis in profectu vitæ, ad salutem vestram.

I. Cur convocatis discipulis communicavit consilia sua? Resp. primo, ut apostolorum fidem probaret. Jam enim aliquando viderant simile miraculum ab ipso patratum. Et tamen quasi obliuam tantum impotentiam, (unde illos quis poterit saturare, etc.) non Christi allegant potentiam. Ita nimirum et nos, licet Dei subventionem sæpius in necessitatibus experti simus tamen adhuc diffidimus, cum nova premit calamitas.

Secundo, ut magis constaret ciborum defectus et subventionis necessitas, adeoque clarius fieret miraculum. Noluit enim Christus miraculum facere, nisi ejus faciendi magna se offerret opportunitas, ne videretur inanem velle captare gloriam.

Tertio, ut doceret nihil in rebus magnis agendum sine deliberatione et consilio prudentum, adeoque magistris etiam non spernenda consilia discipulorum. Ita monet Sapiens, Eccl. XXXII. *Fili, sine consilio nihil facias.* Moyses etiam a Jethro socero suo bonum accepit consilium, (Exod. XVIII.) homine alienigena et gentili.

Neque tamen eum quibusvis consultandum tibi sed cum peritis, et sincere te amantibus. Olim petebatur consilium a *videntibus*, id est, prophetis: quos videntes appellabant, uti 1. Reg. IX. discimus ubi dicitur: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum. Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Sed hodie petitur sæpenumero consilium a cæcis, seu ab iis, qui vel ad temporalia tantum attendunt, non ad conscientiam et spiritualia: vel amore cæcati loquuntur placentia.

II. Cur expectavit tertium diem ad populum reficiendum? Respondeo primo, ne si primo statim die populum refecisset, crederetur populus panis tantum gratia eum sequi et audire. Itaque expectare voluit tempus necessitatis, ut non cupiditas, sed necessitas miraculo occasionem præberet.

Secundo, ut auditores suos in patientia bene exerceret et doceret ante omnia satiandum animum pane spirituali. Ex quadam Domini parabola, Luc. XVII. discimus consuetum et justum esse, ut Dominus prius cœnet, servus vero cœnanti ministret, postea primum et ipse comedat: *Para, quod cœnam, inquit, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis, et bibes.* Anima nostra Dominus est, corpus vero servus ejus. Prius ergo cœnam suam sumere anima debet, et ad hanc cum patientia ministrare ei corpus postea et ipsum accipiet cœnam suam. Cœna animæ verbum Dei est.

Tertio, ut doceret verbum Dei salubrius audi-

ri a sobriis et jejunis, quam a saturis et bene pastis. Saturitas enim cibi ad somnum inclinat, mentis evagationem causat et obdurat cor. Hinc Balthasar ille postquam in convivio jam temulentus esset, vidit quidem manum scribentem ad parietem, petiitque scripturam interpretationem, sed ea tamen a Daniele data nihil emendatus est. Audierat ea nocte sese interficiendum, et honoravit Danielem velut vatem veridicum, interim tamen sibi non consuluit, ut imminenti cladem evaderet, Dan. V. Temulentia nimirum obstitit, quæ cerebro et intelligentiæ nebulas effudit. Sanctus etiam Basilius Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopus in quadam solemnitate cathedram conscendens, sermonem habiturus, sciens interim populum deliciis implicatum et dissolutum, statim in præfatione desperare se dicebat de fructu concionis, quod auditores essent indispositi; ut habetur hom. XIV. p. CLXXXV. edit. Paris. Bene ergo Isa. c. XXVIII. ait: *Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, id est, avocatos a deliciis et intemperantia, ad sobrietatem.*

III. Quid significant septem panes? Resp. septem Ecclesiæ sacramenta, quibus turba fidelium reficitur. Pluribus autem in locis S. Scripturæ designatus videtur septenarius sacramentorum numerus. Primo, Gen. XLX. *Ubi Pharaon vidit in somno septem spicas pullulare in culmo uno, plenas et formosas, quæ ad litteram significabant panis abundantiam futuram in Ægypto per annos septem.* Mystice designant septem sacramenta, quæ ab eodem culmo, Christo, producta, non vacua et egena elementa (ut in veteri lege) sed plena gratiarum et virtutum sunt, pascuntque universum orbem christianum affluentissime toto septennio, hoc est, toto reliquo tempore, usque ad mundi sabbatum et finem. Formosa quoque sunt, quia dum tangunt corpus, animum gratia exornant. «Caro, ait Tertull. lib. de resurrect. carn. abluitur, ut mundetur anima; caro chrismatur, ut anima roboretur; caro inungitur, ut maneat anima consecrata; caro alitur speciebus panis et vini, ut anima satiatur, etc.»

Secundo, IV. Reg. V. in septena lotionem Naaman Syri præcepta ab Elisæo ad emundandam ejus lepram fluvio Jordanis. Aquæ Jordanis sanguinem Christi notant, in quo lavamur septies, dum septem sacramentorum usu ablumur a peccati lepra, et recuperamus gratiam quasi carnem infantilem, quæ est anima mundities.

Tertio, Prov. IX. in columnis septem, quibus inædificata est Ecclesia. Ita enim legimus ibi: *Sapientia ædificavit sibi domum, exivit columnas septem.* Septem, inquam, sacramenta, quibus

insistit, conservatur, dilatatur et perficitur Ecclesia in omnibus suis membris; uti docet Lud. a Ponte, de perfect. to. 1. tract. c. VII. «Prima columna est sacramentum baptismi, per quod regenerantur filii, et habitatores Ecclesiæ recipientes spirituale esse gratiæ, propriumque signum eorum, qui sunt partes Ecclesiæ: secunda columna est confirmationis sacramentum, quod jam regeneratos confirmat; et in spirituali esse, quod acceperant, corroborat, fortesque reddit ac firmos tamquam columnas, adversus tyrannos et persecutores: tertia columna est poenitentia, quæ reficit reparatque omnia eorum damna, resuscitans eos ad gratiam, quam peccato post baptismum admissio perdiderunt: quarta est ss. eucharistia, in qua latet Dominus totius domus, et columnarum omnium firmamentum, ut in ea habitantes sustentet, conservet eorumque virtutes adaugeat: quinta est extrema unctio, quæ nos fortificat redditque constantes in ultimo mortis conflictu, ut in eo superiores evadamus: sexta est ordo sacer, qui domus hujus ministros nutrit, ut propriis ejus muneribus fungantur in utilitate omnium habitantium: ultima columna est matrimonii sacramentum, quod gratiam confert conjugatis, ad filios digne educandos, qui ipsam Ecclesiam condant. Quæ septem columnæ, licet externæ sint et spectabiles, eleganterque multis sanctissimis mysticisque cæremoniis elaboratæ: multo tamen magis pretiosum est, quod intus continent, et in animabus tamquam Dei instrumenta efficiunt, ad eas justificandas, et omni virtutum genere sanctificandas.»

Quarto, Zach. IV. in septem infusoriis candelabri aurei. Vidit enim ibi Zacharias in spiritu: *Candelabrum aureum totum et lampas ejus super caput ipsius et septem lucernæ ejus super illud: et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus et duæ oliivæ super illud: una a dextris lampadis et una a sinistris ejus.* Candelabrum hoc Ecclesia est; lampas pontificem et Romanam designat Ecclesiam, quæ velut matrix, oleum, hoc est, potestatem ordinis et jurisdictionis, vigorem, doctrinam, gratiam instillat, per septem infusoria, id est, septem sacramenta, septem lucernis, quæ sunt vel Ecclesiæ status, apostolorum et viorum apostolicorum, qui sanguine suo Ecclesiam fundarunt; episcoporum et prælatorum, qui eam gubernant; doctorum, qui eas erudiunt et docent; sacerdotum, qui eam sacramentis pascunt; religiosorum, qui seipsos cultui divino devovent; continentium, ac denique conjugatorum.

Quinto, Apoc. 1. in septem stellis, quas in manu sua habere visus est Christus. Per eas Joachimus abbas intelligit septem planetas, qui

sensu mystico designant nobis sacramenta septem, quæ Ecclesiam ita ornant atque illustrant, uti planetæ cælum. Inter ea s. eucharistia, quasi sol inter planetas cæteros est, omnibus lumen suum communicans, et omnes virtute et splendore eminentissime superans.

IV. Cur populum jussit Dominus discumbere super terram? Respond. primo, ut exerceret eum in fide; nondum enim panes in promptu erant, nisi septem illi, credere ergo voluit populum, panem sibi miraculo mox suppeditandum, ut meritum fidei haberet. Nec id suasit aut rogavit, sed præcepit, quia non nisi per fidem voluit nos salvare, et pane cælesti reficere, tam in s. communionem, quam in cælesti beatitudine. Fides necessaria, adeoque præcepta est.

Secundo, ut commodius distribui singulis suæ partes possent, dum eodem loco omnes quieti considerent; (nam alioquin stantes, certo loco non hæssissent) monens interim nos ut sacramentorum susceptione, ad id quod agimus, attentissimi: extraneas cogitationes et occupationes interim seponamus. Hinc enim et corporalem cibum sedendo, non eundo vel stando sumimus, ut sumptus cum quiete corporis magis prosit et nutriat.

Tertio, ad commendandam nobis humilitatem in susceptione præsertim sacramentorum. Ibi enim humiliatur homo coram Deo et sacerdote, dum se denudare debet in baptismo; dum genuflectere, percuti et fascia obligari in confirmatione; dum se accusare humiliter in poenitentia; dum ad s. eucharistiam erectis manibus, depressis oculis, cum tunctione pectoris accedere; dum in s. unctione spiritualem armaturam suscipere in membris suis. Hoc est in terra sedere, terram se et pulvèrem agnoscere.

Quarto, ad docendum debere nos in vocatione nostra conquiescere, si velimus saturi et contenti esse rebus nostris. Propterea enim multi non satiantur quia semper altius supra statum et conditionem suam conantur evolare. Miles querit esse capitaneus, vult esse dux, hic tandem imperator: civis nobilitatem affectat, nobilis vult audiri illustris et generosus, etc. hinc nulla animi sessio et quies, nulla collectio, nulla pax, nullum gaudium. Quod etiam experiuntur qui sua mediocritate contenti non sunt, sed pluribus semper opibus inhiant. Nunquam enim hi suaviter comedunt et dormiunt, quia nunquam sibi persuadent divites se esse.

V. Cur per apostolos jussit apponi panes? Respond. primo, ut scirent discipuli se futuros esse dispensatores mysteriorum Dei, adeoque sibi vigilandum aliis dormientibus, sibi discurrendum et laborandum aliis sedentibus; et hoc ipsum summæ dignationis opus esse, quod eo-